nios conſcriptam Epiſtolam, (quod oportet dicere Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum filium Dei, & Deum noſtrum unum ſanctæ Trinitatis per propriam [1] relationem), ſuſcepit & confirmavit. Quæ ſupradicta quatuor ſancta concilia, ſi negligimus, aut ea, quæ his conſtituta, damus licentiam damnatis ab his hæreticis eorumque dogmatibus ſuam peſtem ruſus in ſanctis Dei Eccleſiis oſtendere. Optandum itaque ut quod nondum contigit fieri, hoc aliquando contingat. Idque eo magis quod ſupra dicta quatuor ſancta concilia ſpeciali confeſſione hæreticos, eorumque dogmata damnarunt. Ideoque ſi quis ab uno ſupradictorum ſanctorum Conciliorum diſſentiat, palam eſt, eum amplecti dogmata a ſanctis illis patribus damnata, & anathematizata. §. 5. Nulla itaque fruſtra nos turbet ſpe vana innixus, quaſi nos contrarium a ſupradictis quatuor Conciliis fecerimus, aut faciamus, aut fieri a quibusdam permittamus, aut aboleri eorundem ſanctorum quatuor Conciliorum piam memoriam ex dictis Eccleſiæ diptychis [2] ſuſtineamus. Omnes enim, qui ab is damnati & anathematizati ſunt, & damnatorum dogmata, eosque, qui eadem ac ipſi ſenſerunt aut ſentiunt, anathematizamus. §. 6. Itaque bene precetur nobis, & noſtro imperio beatitas tua, omnes de noſtra intentione, & noſtro erga irreprehenſibilem fidem ſtudio, docens & certiores faciens. Dat. 7. Kal. Apr. CP. DN. JUSTINIAN. PP. A. III. CONS. 533.

Epiſtola Joannis [3] Archiepiſcopi & ſanctiſſimi Patriarchæ urbis Romæ.

8. Glorioſiſſimo [4] & clementiſſimo filio Juſtiniano Auguſto Joannes Epiſcopus urbis Romæ.

INter claras [5] ſapientiæ ac manſuetudinis veſtræ laudes, Chriſtianiſſime Principum, puriore luce tanquam aliquod ſidus irradiat, quod amore fidei, quod charitatis ſtudio edocti eccleſiaſticis diſciplinis, Romanæ ſedis reverentiam conſervatis, & ei cuncta ſubjicitis, & ad ejus deduxiſtis unitatem, ad cujus auctorem, hoc eſt, Apoſtolorum primum [6], Domino loquente præceptum eſt: *Paſce oves meas:* Quam eſſe omnium vere eccleſiarum caput [7], & patrum regulæ & principum ſtatuta declarant, & pietatis veſtræ reverendiſſimi teſtantur affatus. Patet igitur, in vobis impletum fore, quod ſcripturæ [8] loquuntur: *Per me Reges regnant, & potentes ſcribunt juſtitiam:* Nihil eſt [enim], quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in principe: Nihil eſt, quod ita nequeat [9] occaſui ſubjacere, quam vera religio: nam cum auctorem vitæ, vel luminis utraque reſpiciant, recte & tenebras reſpuunt, & neſciunt ſubjacere defectui. Quam ob rem, Glorioſiſſime Principum, ardore fidei, in hac devotione mentis, in hoc integræ religionis ſtudio, ſine defectu ſui in longiora tempora conſervet: hoc enim & ſanctis credimus eccleſiis expedire. Scriptum [10] eſt enim, *Labiis regit rex:* & iterum, *Cor regis in manu Dei eſt, & ubi voluerit, inclinabit illud.* Hoc eſt enim, quod veſtrum firmat imperium: hoc quod veſtra regna conſervat. Nam pax Eccleſiæ, religionis unitas, auctorem facit in ſublime provectum grata ſibi tranquillitate cuſtodit. Neque enim parva ei viciſſitudo a potentia divina tribuitur, per quem nulla ruga eccleſia diviſa ſecernitur, nullis inſertis maculis variatur. Scriptum eſt enim: *Quia cum rex juſtus ſederit ſupra ſedem, non adverſabitur ei quicquam malignum.* Proinde ſerenitatis veſtræ apices, per Hypatium atque Demetrium ſanctiſſimos viros, fratres & coepiſcopos meos, reverentia conſueta, ſuſcepimus: quorum etiam relatione comperimus, quod fidelibus populis propoſuiſtis Edictum amore fidei pro ſubmovenda hæreticorum intentione, ſecundum Apoſtolicam doctrinam, fratrum & coepiſcoporum [11] noſtrorum interveniente conſenſu. Quod, quia Apoſtolicæ doctrinæ convenit, noſtra auctoritate confirmamus.

Textus autem epiſtolæ Imperatoris talis eſt.

Præfatio. 1. *De hæreticorum opinione.* 2. *Catholica confeſſio.* 3. *De quatuor conciliis.* 4. *De legatis ad Papam miſſis.* 5. *Petitio.* 6. *Subſcriptio.*

Victor JUSTINIANUS, pius, felix, inclytus, triumphator, ſemper Auguſtus, Joanni ſanctiſſimo Archiepiſcopo almæ urbis Rom. & Patriarchæ [12].

REddentes honorem Apoſtolicæ ſedi, & veſtræ ſanctitati (quod ſemper nobis in voto & fuit, & eſt) & ut decet patrem, honorantes veſtram beatitudinem, omnia quæ ad eccleſiarum ſtatum pertinent, feſtinavimus ad notitiam deferre veſtræ ſanctitatis: quoniam ſemper nobis fuit magnum ſtudium unitatem [13] veſtræ Apoſtolicæ ſedis, & ſtatum ſanctarum Dei eccleſiarum cuſtodire, qui hactenus obtinet, & incommote permanet nulla intercedente contrarietate. Ideoque omnes ſacerdotes univerſi Orientalis tractus, & ſubjicere [14], & unire ſedi veſtræ ſanctitatis properavimus. In præſenti ergo, quæ commota ſunt (quamvis manifeſta & indubitata ſint, & ſecundum Apoſtolicæ veſtræ ſedis doctrinam ab omnibus ſemper ſacerdotibus firme cuſtodita & prædicata) neceſſarium duximus, ut ad notitiam veſtræ ſanctitatis perveniant. Nec enim patimur quicquam, quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quamvis manifeſtum & indubitatum ſit, quod movetur, ut non etiam veſtræ innoteſcat ſanctitati, quæ caput [15] eſt omnium ſanctarum Eccleſiarum. Per omnia enim (ut dictum eſt) properamus honorem, & auctoritatem creſcere veſtræ ſedis. §. 1. Manifeſtum igitur facimus ſanctitati veſtræ, quod pauci quidam infideles, & alieni ſanctæ Dei Catholicæ atque Apoſtolicæ eccleſiæ, contradicere Judaice atque apoſtatice auſi ſunt adverſus ea, quæ ab omnibus ſacerdotibus ſecundum veſtram doctrinam recte tenentur, & glorificantur, atque prædicantur, denegantes Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum unigenitum Filium Dei, Deum & Dominum noſtrum incarnatum de ſancto Spiritu, & ex ſancta atque glorioſiſſima ſemper Virgine Dei genitrice Maria hominem factum atque crucifixum, unum eſſe ſanctæ & conſubſtantialis Trinitatis, & coadorandum, & conglorificandum Patri & Spiritui ſancto. conſubſtantialem Patri ſecundum divinitatem, & conſubſtantialem nobis eundem ipſum ſecundum humanitatem, paſſibilem carne, eundemque ipſum impaſſibilem deitate. Recuſantes enim Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum unigenitum Filium Dei, & Dominum noſtrum fateri unum eſſe ſanctæ, & conſubſtantialis Trinitatis: Videntur Neſtorii malam ſequi doctrinam, ſecundum gratiam [16] dicentis unum filium Dei, & alium dicentis Dei verbum, & alium Chriſtum. §. 2. Omnes vero ſacerdotes ſanctæ Catholicæ atque Apoſtolicæ eccleſiæ, & reverendiſſimi Archimandritæ ſanctorum monaſteriorum, ſequentes ſanctitatem veſtram, & cuſtodientes ſtatum, & unitatem ſanctarum Dei eccleſiarum, quam habent ab Apoſtolica veſtræ ſanctitatis ſede, nihil penitus immutantes de eccleſiaſtico ſtatu, qui hactenus obtinuit atque obtinet, uno conſenſu confitentur & glorificant, prædicantes Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum unigenitum Filium, & Verbum Dei, & Dominum noſtrum ante [17] ſecula, & ſine tempore de Patre natum, in ultimis diebus deſcendiſſe de cœlis, & incarnatum de Spiritu ſancto, & [ex] ſancta atque glorioſa virgine, & Dei genitrice Maria natum, & hominem factum, & crucifixum, unum eſſe ſanctæ, & conſubſtantialis Trinitatis, & coadorandum, & conglorificandum Patri & Sancto Spiritui; nec [18] alium Deum verbum, & alium Chriſtum cognoſcimus, ſed unum eundemque ipſum conſubſtantialem Patri ſecundum divinitatem, & conſubſtantialem nobis eundem ipſum ſecundum humanitatem, paſſibilem carne, eundem ipſum impaſſibilem deitate. Ut enim eſt in divinitate perfectus, ita idem ipſe, & in humanitate perfectus eſt: in una enim ſubſtantia deitatem ſuſcipimus, & confitemur: quod dicunt Græci, τὴν καθ᾽ ὑπόστασιν ἕνωσιν, id eſt, *quæ ſecundum perſonam eſt, unitatem confitemur.* Et quoniam unigenitus Filius & Verbum Dei ante ſecula, & ſine tempore de Patre natus, ipſe, & in ultimis diebus deſcendens de cœlis incarnatus eſt de Spiritu ſancto, & ex ſancta atque glorioſa ſemper Virgine, & Dei genitrice Maria, homo factus, Dominus noſter Jeſus Chriſtus, proprie & [19] vere Deus eſt: ideo & glorioſam Virginem Mariam proprie & vere Dei matrem eſſe dicimus: non quaſi Deo verbo principium ex ipſa [20] ſumpſerit, ſed quia in ultimis diebus deſcendit de cœlis, & ex ipſa incarnatus, & homo factus, & natus eſt. Quem confitemur & credimus, (ſicut dictum eſt), conſubſtantialem eſſe Patri ſecundum deitatem, & conſubſtantialem nobis eundem ipſum ſecundum humanitatem: ejusdem miracula, [21] & paſſiones, quas ſponte in carne ſuſtinuit agnoſcentes. §. 3. Suſcipimus autem ſancta quatuor [22] Concilia: id eſt, trecentorum decem & octo ſanctorum Patrum, qui in Nicæna urbe congregati ſunt: & centum quinquaginta ſanctorum patrum, qui in hac Regia urbe convenerunt: & ſanctorum patrum, qui in Epheſo primo [23] congregati ſunt, & ſanctorum patrum, qui in Chalcedone convenerunt: ſicut veſtra Apoſtolica ſedes docet, atque prædicat. Omnes ergo ſacerdotes ſequentes doctrinam Apoſtolicæ ſedis veſtræ ita credunt, & confitentur & prædicant. §. 4. Unde properavimus hoc ad notitiam deferre veſtræ ſanctitatis per Hypatium, & Demetrium beatiſſimos Epiſcopos, ut nec veſtram ſanctitatem lateat, quæ & a quibusdam paucis monachis male & Judaice ſecundum Neſtorii perfidiam denegata ſunt. §. 5. Petimus ergo veſtrum paternum affectum: ut veſtris ad nos deſtinatis literis, & ad ſanctiſſimum Epiſcopum hujus almæ urbis, & Patriarcham veſtrum fratrem (quoniam & ipſe per eosdem ſcripſit ad veſtram ſanctitatem, feſtinans in omnibus ſedem ſequi Apoſtolicam beatitudinis veſtræ) manifeſtum nobis faciatis, quod omnes, qui prædicta recte confitentur, ſuſcipit veſtra ſanctitas; & eorum qui Judaice auſi ſunt rectam denegare fidem, condemnat perfidiam. Plus enim ita circa vos omnium amor, & veſtræ ſedis creſcet auctoritas; & quæ ad vos eſt unitas ſanctarum Eccleſiarum inturbata ſervabitur, quando per vos [25] didicerint omnes beatiſſimi Epiſcopi eorum, quæ ad vos relata ſunt, ſinceram veſtræ ſanctitatis doctrinam. Petimus autem veſtram beatitudinem orare pro nobis, & Dei nobis adquirere providentiam.

§. 6. Deitas te conſervet [26] per multos annos ſancte ac religioſiſſime pater.

[illegible]

Sequitur

Sequitur reſiduum epiſtolæ Papæ.

LIquet igitur, Imperator Glorioſiſſime (ut lectionis tenor, & legatorum veſtrorum relatio patefecit) vos Apoſtolicis eruditionibus ſtudere, cum de religione Catholicæ fidei ea ſapitis, ea ſcripſiſtis, ea protuliſtis, ea populis fidelibus publicaſtis, quæ (ſicut diximus) & ſedis Apoſtolicæ doctrina & ſanctorum patrum veneranda decrevit auctoritas, & nos confirmavimus in omnibus. Opportunum eſt ergo voce exclamare Prophetica [1]: *Jucundetur tibi, & abundet cœlum deſuper, & effundant montes jucunditatem, & colles lætitia lætabuntur.* Hæc igitur in tabulis cordis fideliter ſcribere, hæc ut pupillas oculorum convenit obſervare. Neque enim quiſquam eſt, in quo Chriſti charitas fervet, qui tam rectæ, tam veræ confeſſionis veſtræ fidei refragator exiſtat: cum evidenter impietatem Neſtorii, Eutychetiſque & omnium hæreticorum damnantes, unam [2] veram Catholicam fidem Domini & Dei noſtri Salvatoris Jeſu Chriſti magiſterio inſtitutam, & propheticis Apoſtoliciſque prædicationibus ubique diffuſam, & ſanctorum per totum orbem confeſſionibus roboratam, patrum atque doctorum ſententiis adunatam, & noſtræ doctrinæ conſentaneam, inconcuſſe atque inviolabiliter devota Deo & pia mente ſervatis: Soli etenim profeſſionibus veſtris adverſantur, de quibus divina ſcriptura loquitur, dicens [3]: *Poſuerunt mendacium ſpem ſuam, & mendacio operiri ſperaverunt:* & iterum qui ſecundum Prophetam [4] dicunt Domino: *Recede a nobis, vias tuas ſcire nolumus:* propter quod Salomon dicit: *Per ſemitas propriæ culturæ erraverunt: colligunt autem manibus infructuoſa.* Hæc eſt igitur vera veſtra fides, hæc certa religio: hoc beatæ recordationis, ut diximus, patres omnes, præſuleſque Romanæ Eccleſiæ, quos in omnibus ſequimur: hoc ſedes Apoſtolica prædicavit hactenus, & inconcuſſe cuſtodivit: huic confeſſioni, huic fidei quiſquis contradictor extiterit, alienum ſe ipſe a [ſancta] communione, alienum ab Eccleſia judicabit eſſe Catholica. † Nos enim Cyrum cum ſequacibus ſuis in Romana invenimus civitate, qui de Cumitenſi [5] monaſterio fuit: quos Apoſtolicis ſuaſionibus ad rectam fidem, & velut oves quæ perierant errantes ad ovile contendimus revocare dominicum, ut agnoſcant ſecundum prophetam linguæ balbutientes loqui, quæ ad [6] pacem ſunt. Ad non credentes autem per nos primus Apoſtolorum Eſaiæ [7] prophetæ verbum dicit, *ambulate [8] in lumine ignis veſtri, & flammæ quam ſuccendiſtis.* Sed obduratum eſt cor eorum, ut ſcriptum eſt, ut non intelligerent: & paſtoris vocem oves, quæ meæ non erant, audire minime voluerunt: in quibus obſervantes ea, quæ ab ipſorum ſunt ſtatuta pontifice, eos minime in noſtra comunione recipimus, & ab omni Eccleſia Catholica eſſe juſſimus alienos: niſi, errore damnato, doctrinam noſtram quantocyus ſequi, habita regulari profeſſione ſignaverint. Æquum quippe eſt, ut qui noſtris minime obedientiam accommodant ſtatutis, ab eccleſiis habeantur extorres. † Sed quia gremium ſuum nunquam [9] redeuntibus claudit [10] eccleſia: obſecro Clementiam veſtram, ut ſi proprio depoſito errore, & prava intentione depulſa, ad unitatem eccleſiæ reverti voluerint: in veſtram communionem receptis, indignationis veſtræ removentis aculeos, & nobis intercedentibus benigni animi gratiam condonetis. † Deum autem & Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum exoramus, quatenus longævis & pacificis vos dignetur cuſtodire temporibus in hac vera religione & unitate, & veneratione Apoſtolicæ ſedis, cujus principatum, ut Chriſtianiſſimi [11], & pii conſervatis in omnibus. † Præterea Sereniſſime principum laudamus Legatorum veſtrorum perſonas Hypatii & Demetrii fratrum & Coëpiſcoporum noſtrorum: quos clementiæ veſtræ gratos fore ipſa manifeſtavit electio. Nam tantæ cauſæ pondus non niſi perfectis in Chriſto potuiſſet injungi: tantæ vero pietatis, tantæ reverentiæ plenos affatus, niſi per amantes minime dignaremini deſtinare. † Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti & charitas Dei Patris & communicatio Sancti Spiritus ſit ſemper vobiſcum, Piiſſime fili, Amen. *Item ſubſcriptio:* Omnipotens Deus regnum veſtrum & ſalutem veſtram perpetua protectione cuſtodiat glorioſiſſime & clementiſſime fili [12] Imp. Auguſte. D. *Rom.* VIII. Kal. Apr. D. N. JUSTINIANO PP. A. [IV] & PAULINO V. C. CONSS. 534.

TIT. II.

DE SACROSANCTIS ECCLESIIS [13] ET DE [REBUS, ET] PRIVILEGIIS [14] EARUM.

De relictis Eccleſiæ.

1. Imp. CONSTANTINUS Auguſt. ad Populum.

HAbeat [15] unusquiſque [16] licentiam [17] ſanctiſſimo Catholico [18], venerabilique concilio [19] decedens bonorum, quod [20] optaverit relinquere [21]: & non ſint caſſa judicia [ejus]. Nihil enim eſt quod magis hominibus debeatur, quam ut ſupremæ voluntatis, poſtquam jam aliud [22] velle non poſſunt, liber [23] ſit ſtylus [24], & licitum [25] quod iterum non redit arbitrium. PP. V. Non. Jul. *Romæ*, CRISPO II. & CONSTANTINO II. Cæſ. CONSS. 321.

De ſede Apoſtolorum & Martyrum.

2. Imppp. GRATIAN. VALENTIN. & THEOD. AAA. Pancratio Præfect. urbi.

NEmo Apoſtolorum vel Martyrum ſedem [26] humanis [27] corporibus [28] exiſtimet eſſe conceſſam. Dat. 3. Kal. Aug. *Heracleæ*, EUCHARIO & SYAGRIO CONSS. 381.

De reliquiis Martyrum.

3. Impp. HONOR. & THEOD. AA.

NEmo Martyres [29] diſtrahat, nemo mercetur [30]. Dat. 3. Kal. Mart. CP. HONOR. N. P. & EUODIO CONSS. 386.

De Decanis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.

4. Iidem AA. Niceno [31] P. P.

NOn plures, quam nongenti quinquaginta [32] decani [33] ſacroſanctæ hujus ampliſſimæ urbis deputentur Eccleſiæ: nullique his addendi, vel mutandi, vel in defuncti locum ſubſtituendi pateat copia: nulli alii corporatorum [34] præter dictum numerum per patrocinia [35] immunitate [36] conceſſa, negataque omni novationis facultate ſimilia vindicandi, his quæ in honorem vel neceſſaria obſequia ſacroſanctæ Eccleſiæ indulta ſunt. Dat. 7. Kalend. Sep. *Eudoxiopoli.* HONOR. A. VIII. & THEOD. Juniore A. VIII. [37] CONSS. 409.

De immunitatibus Eccleſiarum.

5. Iidem AA. Melitio PF. P.

PLacet [38], rationabilis conſilii tenore perpenſo [39], diſtricta moderatione præſcribere, a quibus ſpecialiter neceſſitatibus ſingularum urbium Eccleſiæ habeantur immunes [40]. Prima quippe illius uſurpationis contumelia depellenda eſt; ne prædia [41] uſibus cœleſtium ſecretorum dedicata, ſordidorum [42] munerum fæce vexentur: nil extraordinarium [43] ab hinc ſuperindictumve [44] flagitetur: nulla tranſlationum [45] ſollicitudo ſignetur: poſtremo nihil præter [46] canonicam illationem, quam adventitiæ neceſſitatis ſarcina repentina popoſcerit, ejus

1 *Pſ.* 95. 2 Magna hæc ſunt ad commendationem Chriſtianæ fidei, quod una, vera & Catholica; quod inſtituta Chriſti magiſterio; quod ubique diffuſa a Prophetis & Apoſtolis: quod roborata per totum orbem ſanctorum (intelligit martyres) confeſſionibus: quod adunata patrum atque doctorum ſententiis: quod Epiſcoporum urbis Romæ veterum doctrinæ conſentanea: quod ab Imperatore & pio magiſtratu inconcuſſe & inviolabiliter Deo devota & pia mente ſervetur. 3 *Eſa.* 28. *verſ.* 35. 4 *Job.* 22. *verſ.* 17. adde *Jer.* 44. *verſ.* 16. 17. *& ſeqq.* 5 Acumitenſi, Græci ἀκοιμήτων. Cujac. 12. *obſ.* 26. 6 *Pſal.* 28. *verſ.* 3. 7 *Cap.* 50. *v. ult.* 8 Belloviſanus torquet hunc locum, ut probet hæreticos eſſe comburendos 2. *Pract.* 13. *n.* 10. 9 *Novell.* 109. *in fin.* Contriti cordis holocauſtum non patitur repulſam, Cypr. *de cœna domini.* In ultimis Dei clementia pœnitentes non excludit: nec ulla hora ſera eſt, cui compunctio diſtricta occurrit, idem *de paſſione.* Adde ex decreto *diſtinctionem de pœnitentia.* 10 Confer *cauſ.* 24. *quæſt.* 3. *can. corripiantur.* 17. Anſ. Imo claudit Apoſtatis. *l.* 3. J. *de apoſt.* 11 Chriſtianiſſimi epitheton hodie ſibi vindicant reges Galliæ, unde & a Pontifice aliiſque principibus eis tribuitur paſſim: ut & Catholici Regibus Hiſpaniæ. 12 Rerum ſacrarum antiſtites ſolent ita oves appellare. Paul. 1. *Cor.* 4. 14. *ad Philem.* *v.* 10.

13 *L.* 16. *C. Th.* 2. *Novell.* 37. 3. *Decretorum.* 48. Eccleſiæ ſunt ædes Deo conſecratæ. Latini etiam Dominica appellarunt, qua voce etiam Germani utuntur domo, κυριακόν. *Die Kirch.* 14 5. *Eclog.* 3. *Nov.* 46. 131. 15 *l.* 4. *C. Theod. can. futuram.* 15. *c.* 12. *quæſt.* 1. in futurum, in poſterum ſcil. nam ante Conſtantinum forte, aut non licuit, aut parum uſitatum fuit: juſtis vel præceptis, vel exemplis. *Deuteron.* 10. *d. can. futuram. can. videntes.* 16. *can. habebat.* 17. *c.* 12. *quæſt.* 1. quin Veſtales nihil ex teſtamento capiebant. 1. Gell. 12. Symmach. 1. *ep.* 40. & Judæorum collegia, *l.* 1. J. *de Judæis*, & breviter collegia illicita, *l.* 8. J. *de her. inſtit.* Arcadius poſtea vetuit Eccleſiaſticis quicquam donari etiam teſtamento, *l.* 20. *l.* 27. *C. Th. h. t.* ad id forte alludit Hieronymus ad Nepotianum 7. *parte* 3. Pudet, inquit, dicere ſacerdotes idolorum (*facit l.* 20. *ff. de annuis legatis*) aurigæ, mimi & ſcortæ, hereditates capiunt: ſolis clericis & Monachis id lege prohibetur, & prohibetur non a perſecutoribus, ſed a principibus Chriſtianis (Valentinianum, Valentem & Gratianum perſtringit, cujus lex ad Damaſum extat, *l.* 20. *C. Theod. de Epiſc.*) nec de lege conqueror, ſed doleo, cur meruerimus hanc legem: Cauterium bonum eſt, ſed quo mihi vulnus ut indigeam cauterio? Provida, ſeveraque legis cautio, & tamen nec ſic refrenatur avaritia: per fideicommiſſa legibus illudimus. Apud Gallos novas poſſeſſiones, immobilia, feuda & cenſuales reditus Eccleſiæ ſine Regio diplomate nequeunt adipiſci, & niſi impetrato morticinii jure vel a rege, vel iis quibus id licet, v. Papon. 1. *Arreſt. tit.* 4. *d'amortiſſement.* Nicephori Phocæ conſtitutione id videtur Eccleſiis remiſſum fuiſſe, v. ejusdem conſtitutionem infra, *Goth.* Confirmatur hæc lex *Concil. Trid. ſeſſ.* 25. *c.* 5. Nota tamen, hujus & ſequentis tituli leges, quoad clericos, licet illis favorabiles ſint, propter defectum jurisdictionis non valere tanquam leges, ſed ut privilegia. Dec. *in l. Senium.* 15. *ff. qui teſtam. fac.* poſt Gratian. *diſcept. forenſ. tom.* 1. *cap.* 64. *num.* 12. Alexander Sperellus *deciſ.* 10. *num.* 33. Anſ. 16 Cui tamen teſtamentum licet facere. Ideoque furioſus, mutus, ſurdus, pupillus, damnatus ad mortem, deportandus, & bannitus non poſſunt pias etiam ad cauſas teſtari. An idem in excommunicato? v. ſuper ea re Socin. *regul.* 134. Num & idem eſt in uſurario manifeſto, filiofamilias dubitante de ſuo ſtatu? vide Bald. *hic.* Teſtandi facultatem numerari inter actus voluntarios, hinc etiam colligunt, v. *Nov.* 134. *c.* 3. 17 Teſtamenti ad pias cauſas privilegia ex hac lege colligas, quibuscunque videlicet perſonis, cuicunque collegio, quantas ſummas optaverit, quo voluerit ſtilo relinquere licere, de quo vide Clarum 3. *ſent.* §. *teſtamentum. quæſt.* 5. Tiraquellum *tractat. de privileg. piæ cauſæ*, Graſſum *lib.* 20. *ſentent.* §. *teſtamentum quæſt.* 17. 18. 19. 20. 21. 18 Aliud in non Catholico & illicito, *l.* 1. J. *de Judæis.* An ſpurio? non ultra alimenta, licet pia ſit cauſa. Baldus *hic.* 19 Id eſt loco. An ad fabricam templi? *d. can. futuram.* 15. *c.* 12. *qu.* 1. An templi habitatoribus, puta clericis, monachis? licuit enim gentibus legare ſacerdotibus & hierophylacis, *l.* 20. *D. de annuis*, & Diis. *l.* 1. §. 5. *ff. ad l. Falcid.* Neque tamen omnibus. Ulpian. *tit.* 22. §. *Deos* 6.

20 Demus res inalienabiles ob piam cauſam legatas: Num debebitur æſtimatio? negat Baldus *hic.* Demus præteritis vel exheredatis injuſte liberis, piam cauſam eſſe inſtitutam? Auguſtinum ita reſpondentem audiamus. Quærat, inquit, alterum qui ſuſcipiat, non Auguſtinum. Imo Deo propitio, neminem inveniet, qui ſuſcipiat, Auguſt. *ſermone de vita Clericorum* 17. *quæſt.* 4. §. *ult.* ut hinc colligas, in bonis teſtatoris, teſtatori propinquiores eſſe liberos, quam ſit Eccleſia: & in hac ſpecie Eccleſiam poſt liberos eſſe. 21 Relinquendi verbum non ad donationes inter vivos pertinet, ſed ad teſtamenta, & ſi quæ ſimilia judicia poſtrema, *ibi*, *quam ut ſupremæ voluntatis.* 22 Mortuus velle non poteſt. 23 *Novell.* 22. *c.* 2. & tamen adſtrictus inſtitutioni heredis, non collatus in arbitrium heredis, munitus ſolemni teſtium numero. Baldus *hic.* An pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus quis ad pias cauſas mori poteſt? *Bartolus* ait, *Baldus* negat. 24 De ſtylo, vide quæ dicam, *infr. quæ ſit longa conſuetudo.* 25 Baldus videtur legiſſe *liberum*, qua de re vid. *Novell.* 22. *cap.* 2. 26 Martyrium *l. ult. C. Theod.* 17. μηδεὶς ἐν ἐκκλησίᾳ θαπτέτω νεκρόν. Nullus in Eccleſia ſepeliat mortuum *Syn. Baſil.* 3. *tit.* 3. *ex lib.* 5. *tit.* 1. eam etiam templi partem intelligit Baldus, quæ clericis adſignata: cui adeſſe laico non licet. 27 Sepeliendis 5. *Ecl.* 3. *ex lib.* 5. *tit.* 1. *c.* 2. aut humandis *l.* 6. *C. Th.* 9. *tit.* 17. *cauſ.* 13. *q.* 2. *c. nullus.* 18. *c. non æſtimemus.* 19. 28 An collegiis aut contractibus, electionibus magiſtratuum habendis? an habitationi, in jus vocationi, citationi, prehenſioni? *infr. de his, qui ad Eccl.* video ſervum in iis manumitti poſſe, J. *de his qui in Eccl. manumittuntur.* tutorem dari, *arg. l.* 3. §. 3. *ff. de tutel.* & jurari, *l.* 13. *in fin. infr. de reb. cred.* proteſtationem fieri, *Nov.* 115. *c. ult.* An ſententia, an arbitrium, an examinatio teſtium fieri? ſic puto: dummodo non repugnet uſus. 29 Martyrem *l.* 7. 9. *C. Theod.* 17. λείψανα ἁγίων, id eſt, reliquias ſanctorum 1. *Ecl. c.* 5. *fol.* 2. 3. Harmen. 3. *h. t.* περὶ λειψάνων ἁγίων. 30 Cum contractus irritus fuerit, quænam pœna conſtituta? extraordinaria. *Bald.* 31 Al. *Decio Ruff.* Al. *Cynegio.* Contius. 32 Imo octoginta, *d. Nov.* 59. 33 *Decani*, hic, ſunt veſpillones, copiatæ, lecticarii, foſſarii, Bargenæ aut Bergenæ νεκροφόροι, adde *Novell.* 43. *Nov.* 59. 34 Corporati, ejusdem corporis & collegii, vid. *l. unic. infr. de collegiatis.* 35 Numerus ubi certus eſt, non valet impetratio ſupra numerum, utcunque patrocinio ſummi viri fiat. 36 Recepti ſupra numerum non fruuntur privilegio ordinariorum. 37 Vitium eſt in hac ſubſcriptione. 38 *l.* 40. *C. Theod.* 16. *tit.* 2. Goth. Hæc lex canonizata eſt. *cauſ.* 16. *quæſt.* 1. *can. placet.* An Eccleſiaſticæ perſonæ teneantur ad ſolutionem onerum militarium: vid. Cacheran. *deciſ.* 68. Adde Alciat. *hic.* Anſ. 39 Princeps in dubio omnia conſilio agere præſumitur. 40 Eccleſiæ habent immunitatem ab omnibus collectis, gabellis & exactionibus. vid. *l.* 2. *infr. de epiſc. & cler. & cap.* 1. & *cap. quanquam pedagiorum.* 4. *de cenſ. exact. & procurat. in 6to. & Clement. præſenti. h. t.* Mod. 41 Omnia ſcil. ad Eccleſiam pertinentia. 42 Prædia Eccleſiaſtica a ſordidis muneribus immunitatem habent, *Nov.* 131. *c.* 5. de quib. v. *l.* 13. 14. 15. 16. J. *de excuſ. muner.* 43 Extraordinaria munera ſunt, quæ nec certam, nec ordinatam formam præſtationis habent, *l.* 10. §. 1. *ff. de annuis.* eo Eccleſiæ non tenentur, niſi de extraordinario factum ſit ordinarium, *l.* 1. *in fin. infr. de indict.* 44 Superindictitium, *l.* 40. *C. Theod.* 16. *tit.* 2. vid. *infr. de ſuperindicto.* 45 Vid. *infr. de coll. don.* 46 Alias, Eccleſiæ tenentur ad ordinarias præſtationes, nec licet abuti nomine Eccleſiæ evitandorum canonum cauſa *Nov.* 37. ordinaria igitur jugatio Eccleſiæ non eſt remiſſa, vid. *l.* 3. *infr. de Epiſcop. & cler.* Ambroſius de Imperatore loquens, *ſi tributum petis, non negamus: Agri Eccleſiæ tributum ſolvunt. c.* 11. *q.* 1. *can. ſi tributum* 27. Si cenſum filius Dei ſolvit, quis tu tantus es, qui non putes eſſe ſolvendum? 11. *qu.* 1. *c. magnum* 28. adde *c.* 23. *qu.* 8. *can. tributum* 22. De hac tamen re conqueritur Gregorius VII. epiſt. ad Theodoricum & Theodebertum Francorum reges 114. Sane a tributis immunes fuiſſe Sacerdotes apud Ægyptios, Judæos, Perſas & Gallos, in veterum monumentis legimus, *Geneſ.* 47. Dion. 2. 1. *Eſd.* 7. Xenoph. *de vectig.* Cæſar. 6. *de bell. Gall.* ſic in Bœotia agri deorum excepti erant, l. cenſoria: quam tamen legem publicam ad novos deos ſubtiliter pertinere negabant: eosve qui aliquando mortales fuiſſent, Cic. 3. *de nat. deor.* Hoc eodem prætextu iidem publicani prope Cayſtrum loca quædam Lunæ conſecrata ad ſe rapuerunt. *Strabo* 14.

functio-

functionibus adſcribatur. Si quis contravenerit: poſt [1] debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga ſacrilegos [2] [jure] promenda eſt, exilio deportationis perpetuo ſubdatur. Dat. 8. Kal. Jul. Rav. HONORIO IX. & THEODOSIO V. AA. CONSS. 412.

De obſervatione & interpretatione Canonum Eccleſiaſticorum.

6. Iidem AA. Philippo Præfecto Prætorio Illyrici.

OMni [3] innovatione [4] ceſſante vetuſtatem & canones priſtinos Eccleſiaſticos, qui [5] usque nunc tenuerunt, etiam per omnes Illyrici provincias ſervari præcipimus: ut, ſi quid dubietatis emerſerit, id oportet (non [6] absque ſcientia viri reverendiſſimi ſacroſanctæ legis Antiſtitis [Eccleſiæ] urbis Conſtantinopolitanæ, quæ Romæ veteris [7] prærogativa [8] lætatur [9]) conventui ſacerdotali ſanctoque judicio reſervari. D. Pridie Id. Jul. EUSTATHIO & AGRICOLA CONSS. 421.

De inſtructionibus itinerum & pontium.

7. Iidem AA. Aſclepiodoto P. P.

AD [10] inſtructiones [11] itinerum [12] pontiumque [13] ad nullum domos & venerabiles Eccleſias [14] tam laudabili [15] titulo libenter adſcribimus: quia [16] non eſt inter ſordida munera numerandum. Dat. 15. Kal. Mart. CP. ASCLEPIODOTO & MARINIANO CONSS. 423.

De capitatione.

8. Imp. CARUS [17] Præſidoro P. P.

SAcroſanctæ [18] Theſſalonicenſis [19] civitatis Eccleſia aperte ſciat, propriæ tantummodo capitationi [20] modum beneficio noſtri numinis ſubleviandum: nec extraneorum gravamine tributorum Rempublicam eccleſiaſtici nominis abuſione [21] lædendam. Dat. 6. Id. Oct. CP. VICTORE V. C. COS. 424.

De decanis ſeu collegiatis titulo tenus.

9. Impp. THEOD. & VALENTIN. AA. Cyro Præfecto Urbi.

QUi ſub prætextu decanorum ſeu collegiatorum, in quibus non implent, aliis ſe muneribus conantur ſubtrahere, eorum fraudibus credimus eſſe obviandum: ne quis ſub [22] ſpecie munerum, quod minus exquirent, alterius muneris oneribus relevetur: ne argentariorum vel nummulariorum munera declinentur ab his, qui dici tantummodo collegiati vel decani feſtinant: ideoque ſi quis eorum ſub nube [23] appellationis velamine collegiatum ſeu decanum ſe appellat; ſciat, pro ſe alium ſubrogandum [24], qui prædicto muneri ſufficiens approbetur: ſubrogatione videlicet loco memoratorum, vel eorum, qui moriuntur, primatus ejus, qui ſubrogatur, admiſſa [25] in ſolidio; ab hac diſpoſitione nemine ſe excuſante Sacroſanctarum Eccleſiarum [reverentia]. Dat. x. Kal. Apr. THEOD. XVII. & FESTO COSS. 439.

De navibus & embola.

10. Iidem AA. Florentio P. P.

JUbemus [26], nullam navem [27] ultra duorum millium modiorum capacem ante [28] felicem embolam [29], vel publicarum ſpecierum transvectionem aut privilegio dignitatis aut religionis intuitu, aut prærogativa perſonæ [30] publicis [31] utilitatibus ſubtractam, excuſari poſſe: nec ſi cæleſte [32] contra privilegium oraculum [33], ſive annotatio ſit, ſive divina pragmatica ſanctio, providentiſſimæ legis regulas excuſare debebit. Quod etiam in omnibus cauſis cupimus obſervari: ut generaliter, ſi quid hujusmodi contra [34] jus vel utilitatem publicam in quolibet negotio proferatur, non valeat: Quicquid enim in fraudem iſtius legis quolibet modo fuerit attentatum: id navigii, quod excuſatur, publicatione [35] corrigimus. Dat. THEOD. A. XVII. & FESTO COSS. 439.

De angariis, parangariis, & plauſtris.

11. Iidem AA. ad Taurum Præfectum Prætorio.

NEminem ab angariis, vel parangariis, vel plauſtris, vel quolibet munere excuſari præcipimus, cum ad feliciſſimam expeditionem [36] noſtri numinis omnium Provincialium per loca, quæ tranſeuntur [37], debeant ſolita nobis miniſteria exhibere: licet [38] ad ſacroſanctas Eccleſias [39] poſſeſſiones pertineant. Dat. 15. Kal. Mart. CP. VAL. A. V. & ANATOLIO COSS. 440.

Confirmatio privilegiorum eccleſiis conceſſorum. 1. Abrogatio ſanctionum ſacris canonibus adverſantium. 2. De ſalariis, quæ de publico eccleſiis ſunt præſtanda.

12. Impp. VALENT. & MARCIANUS A. A. Palladio P. P.

PRivilegia [39], quæ generalibus [40] conſtitutionibus univerſis ſacroſanctis Eccleſiis orthodoxæ religionis retro Principes præſtiterunt, firma & illibata in perpetuum decernimus cuſtodiri. §. 1. Omnes ſane pragmaticas ſanctiones, quæ contra [41] Canones eccleſiaſticos interventu gratiæ vel ambitionis elicitæ ſunt, robore ſuo & firmitate vacuatas ceſſare præcipimus. §. 2. Quia humanitatis noſtræ eſt, egenis [42] proſpicere, ac dare operam, ut pauperibus alimenta non deſint [43]: ſalaria [44] etiam quæ ſacroſanctis eccleſiis in diverſis ſpeciebus de publico hactenus [45] miniſtrata ſunt, jubemus nunc quoque inconcuſſa, & a nullo prorſus imminuta præſtari: liberalitatique huic promptiſſime perpetuam tribuimus firmitatem. Dat. AETIO & STUDIO CONSS. 454.

De ſtatutis, & conſuetudinibus contra libertatem eccleſiæ, ejusque perſonas.

Nova conſtitutio FRIDERICI [46] Imperatoris.

CAſſa & irrita [47] eſſe denunciari per totam Italiam præcipimus omnia ſtatuta & conſuetudines contra libertatem Eccleſiæ ejusque perſonas, inducta adverſus canonicas & imperiales ſanctiones, & de Capitularibus [48] penitus abolere mandat nova conſtitutio: & de cætero ſimilia attentata [49] ipſo jure nulla eſſe decernit: ſi quid contra fiat: pœna quæ ſtatuta ſunt, imminebunt. Sed ſi per annum hujus novellæ conſtitutionis aliqui inventi fuerint contemptores, bona eorum per totum noſtrum imperium impune ab omnibus occupentur.

De ultima voluntate mulieris Deo dicatæ.

13. Iidem AA. Palladio P. P.

GEnerali lege [50] ſancimus, ſive vidua, ſive Diaconiſſa, vel virgo Deo dicata, vel ſanctimonialis mulier, ſive quocunque alio nomine religioſi honoris, vel dignitatis femina nuncupata, vel teſtamento, vel codicillo ſuo (quod [51] tamen alia omni juris ratione munitum ſit) Eccleſiæ vel martyrio [52], vel Clero, vel Monaſterio [53], vel pauperibus aliquid, vel ex integro, vel ex parte, in quacunque re vel ſpecie, crediderit relinquendum: id modis omnibus ratum firmumque conſiſtat: ſive [54] hoc inſtitutione, ſive ſubſtitutione, ſive legato aut fideicommiſſo per univerſitatem ſeu ſpeciali, ſive ſcripta, ſive non ſcripta voluntate fuerit derelictum: omni in poſterum in hujuscemodi negotiis ambiguitate ſubmota. Dat. v. Kalend. Maji CP. ANTHEMIO & VALENT. VIII. CONSS. 455.

De Rebus Monachorum.

In AUTHENT. de monachis. §. illud quoque. col. 1. tit. 5. ſeu Novel. 5. & Novel. 76.

INgreſſi [55] monaſterio ipſo ingreſſu ſe ſuaque [56] dedicant Deo: Nec [57] ergo de his teſtantur [58]: utpote nec [59] domini rerum.

In AUTHENT. de ſanctiſſimis Epiſc. §. ſi qua. col. 9. tit. 6. al. 15. ſeu Novel. 123. cap. 38.

SI [60] qua mulier aut vir, liberis non extantibus [61], monaſticam [62] vitam elegerit, & monaſterium intraverit: monaſterio [63], quod intravit, res [64] ejus competere jubemus. † Sed ſi perſona liberos habens, antequam de rebus ſuis inter eos [65] diſponat, monaſterium intret, liceat ei poſtea inter eos dividere [66], legitima [67] nulli deminuta: & quod eis non dederit, monaſterio competet. Sed a ſi omnem [68] ſub-

1 Et ita duabus pœnis afficiuntur: excommunicatione ſcil. & exilio. 2 Sacrilegium committit, qui immunitatem Eccleſiæ violat. 3 *l.* 45. *C. Th. de Epiſcop. l.* 16. Goth. Innovatum contra Canones non ſubſiſtit. Vide Goedd. *de Sequeſtrat. cap.* 1. *num.* 39. & 40. *ad* 46. & Alciat. *hic.* Anſ. 4 Quæ forte obtinuerat tempore Tyrannidis, *l.* 16. J. *h. t.* 5 Adde *l.* 12. J. *h. t. Novell.* 6. *cap.* 1. *Nov.* 83. *c.* 1. *Nov.* 123. 6 Atqui ad Imperatorem eundem videtur, *l.* 1. J. *de legib.* 7 *l.* 52. *in fin.* J. *de Epiſc. & cler.* ad differentiam novæ. *l.* 4. J. *de oper. publ.* eſt enim duplex Roma. *l. ult.* J. *in quib. cauſ. pign.* 7. *Eclog.* 17. *c.* 13. Conſtantinopolim Græci vocant, νέαν ῥώμην. Zonar. *act. concilii Chalced. cap.* 22. 8 *l.* 45. *C. Theod.* 16. *tit.* 2. id eſt, Patriarchatus, *l.* 16. J. *h. t.* 9 Imo ei antiſtat. *l.* 24. J. *h. t.* 10 Pars legis 6. *C. Theod. de itinere muniendo lib.* 15. 11 Eccleſiæ a muneribus præſertim ſordidis immunes, εἰ μὴ εἰς ἀνανέωσιν γεφύρας καὶ ὁδοστρωσιῶν, hoc eſt, exceptis pontium & itinerum inſtructionibus, *Synopſis Baſil.* 1. *c.* 5. *l.* 7. J. *de oper. pub. l.* 4. J. *de priv. domus Auguſt. l.* 6. *C. Theod. de itinere muniendo*, *Nov.* 37. & 149. *c.* 3. 12 ὁδοστρωσιῶν 5. *Eclog.* 1. *c.* 5. 13 Stratum, *l.* 6. *C. Theod.* 15. *tit.* 3. *l.* 4. J. *de privil. dom. Auguſt.* murorum civitatis, putei publici & ſimilium. 14 Locupletes ſcilicet, non ſi ſolæ aut deſtitutæ reditu. 15 Non ſordido J. *h. t.* 16 Pontium & itinerum inſtructiones non cenſentur inter munera ſordida. 17 Al. *Imp. Theodoſ. A. Iſidoro PP. Illyrici*, ut legitur *in C. Th.* Ruſſard. 18 *Pars legis* 33. *C. Theod. de annon. & tribut. l.* 11. 19 V. *l.* 12. J. *de annonis & tribut.* 20 Capitationis voce tributum ſoli interpretatur Molinæus. 21 Privilegii prætextu illicitum non debet committi, *l.* 1. J. *ubi ſenatores.* 22 *Pars l.* 1. J. *de collegiatis.* 23 *l.* 5. *ff. de jure immunitat.* 24 Hæc lex non pertinet ad eum qui ſe fingit clericum: nec enim ſe decanum mentienti alius ſubrogari poteſt, cum non ſit decanus. Senſus eſt itaque: Non ſervientem Eccleſiæ privilegio carere, ejusque loco alium ſubrogari. 25 Admiſſo. 26 Idem *l.* 2. J. *de navibus non excuſ.* 27 V. *l.* 2. J. *de navibus non excuſand.* 28 Quo anni tempore fuerit felix hæc embola, vide *Edictum Juſtiniani* 13. *c.* 6. 29 Embola felix transvectio ſpecierum publicarum, v. *Edict. Juſtin.* 13. 30 Forte militaris. 31 Publica utilitas cuilibet privati privilegio præferenda. 32 Cœleſte oraculum quid eſt? principis diſpenſatio. 33 Hinc colligit Baldus privilegium generaliter indultum non includere caſum utilitati publicæ contrarium, quem ſequitur Lud. & Florent. *conſ.* 437. *col.* 2. idemque tradit *in l. id præſens. in fin. C. de privilegiis lib.* 11. Plura autem de hac re vide apud Ludov. Rom. *in l. ſi vero.* §. *de viro. ff. ſolut. matr.* & Felin. *ad c. nonnulli. extr. de reſcript.* Mod. 34 Reſcriptum obreptitium ipſo jure nullum. 35 Eccleſiæ nocet factum prælati, v. *c.* 76. *de reg. in* 6. *Edict. Juſt.* 13. *c.* 10. 36 Eccleſiæ ab oneribus expeditionis non excuſantur. 5. *Ecl.* 1. *cap.* 7. *l.* 2. J. *de quibus muneribus*, *vel præſt. l.* 21. J. *de curſu publico.* 37 Eccleſiæ obnoxiæ ſunt angariis & parangariis expeditionis tempore. *Synopſ. Baſil.* 5. *tit.* 1. *c.* 5. & 7. *l.* 2. J. *de quib. munerib. vel præſtationib.* 38 Et alium quemcunque *d. c.* 7. ſed nec regiæ domus expeditionis tempore ab angariis & parangariis immunes. *l.* 21. J. *de curſu publico. Synopſ. Baſil. ib. ex lib.* 56. *tit.* 17. *cap.* 22. 39 *l.* 21. 22. *C. Theod. de ſordidis & extraord. munerib* 11. *tit.* 16. & *l.* 34. & 38. *C. Theod. l.* 22. §. 1. J. *de Epiſc. Novell.* 131. 40 Privilegia quædam generalia eſſe poſſunt. 41 Canones, ubi agitur de re Eccleſiaſtica, juri civili præferendi. 42 Optimi principis officium eſt, egenis proſpicere. 43 Hinc colligitur, voto pauperi alimenta, aut quid hujusmodi uſusfructus nomine legari poſſe. 44 Salaria hujusmodi ex vectigalibus ſuis detracta per ſingulas civitates Chriſtiani principes alendis Eccleſiæ miniſtris addixerunt, ut hic, quæ ſublata a Juliano Jovianus reſtituit 4. *Th.* 4. Ad eum modum Numa Veſtalibus ſtipendium de publico ſtatuit. *Liv.* 1. & Ægypti reges ſacerdotibus Ægypti tertiam vectigalium. *Diod.* 2. Ita Plato eos, qui reipublicæ præficiuntur, ex publico alendos cenſet. 45 Eleemoſynæ conſuetæ præſtandæ ſunt. Atqui ſunt incertæ? non ſunt, cum ex conſuetudine, quæ & quantæ ſint, appareat, *l.* 14. §. 1. *D. de alimentis vel cibariis legat.* 46 Secundi. *Goth.* Fredericus II. ab Honorio III. Pontifice coronam accepit. Anno 1213. *Anſ.* 47 Ipſo Jure. *l.* 12. §. 1. *ſupr. h. t.* 48 *Capitularia*, libri ſtatutorum *c. omnes in fin.* 36. *cauſ.* 11. *quæſt.* 1. 49 Attentata alienæ jurisdictionis uſurpatio, v. Paponem 19. *arreſt.* 3. *d'attentat.* 50 Quæ hodie immutata duabus authenticis ſequentibus. 51 Religioſæ perſonæ etiam ſolenniter teſtari debent. 52 *Martyrium* templum martyrum, *l.* 16. J. *h. t. l.* 7. *C. Th.* 9. *tit.* 18. 53 Id eſt, cœtui, aut templo monachorum. 54 Relinquimus morientes vel ſcripto, vel non ſcripto, idque vel inſtituendo, ſubſtituendo, legando, fidei committendo. 55 Vide ad hanc Novell. Socinum *reg.* 180. 56 Aliud ante ingreſſum. *Novell.* 5. *c.* 5. & certo caſu poſt ingreſſum, v. *Authen. proximam.* Hæc interim authentica non ſervatur in Gallia, monaſterium enim non ſuccedit religioſo, ſed ab inteſtato proximi. Quin religioſi non ſuccedunt proximis, nec monaſterium eorum loco: nec poteſt ſecularis factus ſucceſſionem revocare: ſed nec religioſos liberos patres tenentur hodie heredes inſtituere, aut legitimam eis relinquere, v. Rebuffum *in proœmio conſtit. gloſſ.* 5. *n.* 20. 21. 22. 23. 24. Putarem tamen caſibus iſtis habendam rationem paupertatis nimiæ, & quæ ſæpius accidit mendicitatis. *Goth.* Neque ſervatur hæc authentica in Belg. ubi monaſteriis ad adquirendum principali reſcripto opus eſt. *Edict.* 19. *Octob.* 1520. & *lat. introit. art.* 14. *addit.* 2. Anſ. 57 Teſtari de rebus Deo dicatis non poſſumus. 58 Hoc ut verum ſit, v. *Authenticam proximam.* 59 Teſtari non poſſumus de rebus alienis. 60 Hæc authentica non ſervatur in Gallia, ut dixi in ſuperiore authentica. 61 Vide Johan. Dauth. *de Teſtam. ad rubr. qui teſtam. fac. poſſ. num.* 176. Anſ. 62 Monaſtica vita ſtringit arctius, quam ſacerdotium ſimplex. 63 An ſaltem rei alicujus uſum & diſpoſitionem excipere, ſeu reſervare ſibi poſſint? Poſſunt utique: ſed permittente tantum ſuo vel præpoſito, vel ſuperiore. 64 Omnes: etiam uſusfructus commoditatem & emphyteuſeos privatæ, immobilia, ſi modo monaſterium ipſum talium ſit capax (quod in feudis quæritur) maxime operarum obventiones, lucra futura, ut legata & relicta, v. Paponem 1. *arreſt.* 8. *n.* 7. 65 Non extraneos; hinc Baldus negat, monacho tum licere uxori dotem conſtituere, aut quaſi ab ea quondam receptam cavere, vel de reſtituendis uſuris alicui cavere. 66 Teſtari monachus poteſt inter liberos, hoc caſu ut ex *Novella Leonis* V. de his, quæ adquiſivit poſt ingreſſum. Ideoque poſſe videtur in his ſubſtituere. Ad hæc poteſt teſtis eſſe quoque in teſtamento, & teſtamenti executor dari: aut ſi id ei non licet, executori a conſiliis eſſe. Bald. *hic.* 67 Monachus liberis relicturus, quam minus poteſt legitimam eis relinquit: quam plurimum virilem ſibi retinere debet. 68 Jaſon *hic num.* 5. colligit *ex hoc verſ.* Monaſterium loco filii haberi. *cap. in præſentia. Extr. de probat.* vide *can.* 9. *cauſ.* 19. *quæſt.* 9. Anſ.

ſtantiam inter eos filios dividere voluerit, ſua perſona filiis connumerata, partem ſibi retineat, quæ monaſterio competere debet. Sed ſi poſt ingreſſum monaſterii moriatur [1], antequam inter eos dividat; filii legitimam percipient, reliqua ſubſtantia monaſterio competente [2].

De alienatione, oppignoratione, emphyteuſi rerum Eccleſiæ. De acquiſitione prædii ſterilis aut oneroſi.

14. Impp. LEO [3] & ANTHEMIUS AA. Hanatio [4] Præfecto Prætorio.

JUbemus [5], nulli poſthac Archiepiſcopo in hac urbe Regia ſacroſanctæ [6] orthodoxæ Eccleſiæ præſidenti, nulli Oeconomo, cui [7] res eccleſiaſtica gubernanda mandatur, eſſe facultatem fundos, vel prædia ſive urbana, ſive ruſtica, res poſtremo immobiles, aut in his prædiis colonos, vel mancipia conſtituta, aut annonas civiles [8] cujuscunque ſuprema, vel ſuperſtitis voluntate ad religioſas eccleſias devolutas, ſub cujusque [9] alienationis ſpecie ad [10] quamcunque transferre perſonam: ſed ea etiam prædia dividere [11] quidem, colere, augere, & ampliare: nec ulli iisdem prædiis audere cedere: verum ſive teſtamento quocunque jure facto, ſeu codicillo, vel ſola nuncupatione, legato ſeu fideicommiſſo, aut mortis cauſa donatione, aut alio quocunque ultimo arbitrio, aut certe inter viventes habita largitate, ſive contractu venditionis, ſive donationis, aut alio quocunque titulo quisquam ad præfatam venerabilem Eccleſiam patrimonium ſuum, partemve certam patrimonii in fundis, prædiis, ſive domibus, vel annonis, mancipiis [12], & colonis, eorumque peculiis voluerit pertinere: inconcuſſa ea omnia ſine ulla penitus immutatione conſerventur. † Scientes nulla ſibi occaſione vel tempore, ad viciſſitudinem beneficii collocati [13], aut gratiæ referendæ donandi, vel certe hominibus volentibus emere, alienandi aliquam facultatem permiſſam: nec ſi omnes cum religioſo Epiſcopo, & Oeconomo clerici in earum poſſeſſionum alienationem conſentiant: ea enim, quæ ad beatiſſimæ eccleſiæ jura pertinent, vel poſthac forte pervenerint, tanquam ipſam [14] ſacroſanctam & religioſam eccleſiam, intacta convenit venerabiliter cuſtodiri: ut ſicut ipſa religionis & fidei mater [15] perpetua eſt, ita ejus patrimonium [16] jugiter ſervetur illæſum. §. 1. Sane, ſi hæc noſtræ perennitatis ſtatuta audaci ſpiritu & mente ſacrilega quisquam Oeconomorum, vel hominum temeranda crediderit, ipſe quidem, qui protervo auſu Eccleſiaſtica prædia donationis, vel emptionis ſeu commutationis [titulo], vel cujuscunque contractus alterius nomine (niſi eo modo, quo nunc [17] ſtatuimus) acquirere [vel habere] tentarit; omnem hujusmodi fructum propriæ temeritatis amittat: & pretia quidem & munera [18], quæ ejus rei gratia data fuerint Oeconomo, ſive aliis quibuscunque perſonis, eccleſiæ lucris & commodis acquirantur [19]: prædia autem, & in his omnibus conſtituta, ab ipſis clericis [20] & temporalibus œconomis cum fructibus ſeu penſionibus, vel acceſſionibus totius medii temporis vindicentur, ut tanquam penitus a nullo empta vel vendita teneantur: quia ea quæ contra leges fiunt, pro [21] infectis habenda ſunt. §. 2. Oeconomus autem, qui hoc fecerit, imo fieri paſſus fuerit [22], vel quacunque prorſus hujusmodi venditione, ſeu donatione, vel commutatione, [niſi ea, quæ præſenti lege concedimus] poſtremo in quacunque alienatione conſenſerit: commiſſa ſibi Oeconomatus adminiſtratione privetur [23], deque ejus bonis, quodcunque exinde incommodum eccleſiæ contigerit, reformetur: heredesque [24] ejus, & ſucceſſores, ac poſteri ſuper hoc facto ſive conſenſu, competenti ab eccleſiaſticis perſonis actione pulſentur. §. 3. His tabellionibus, qui hujusmodi contractuum vetitorum [25] auſi fuerint inſtrumenta conſcribere, irrevocabilis [26] exilii animadverſione plectendis. §. 4. His quoque judicibus [27], vel jus geſtorum habentibus, qui hujusmodi donationum vel contractuum vetitorum geſta confecerint, dignitatis propriæ & bonorum omnium ſpoliatione damnandis. §. 5. Sane ne [28] omnis religioſis Oeconomis commodæ proviſionis via, & occaſio venerandis Eccleſiis profutura videatur excluſa: id, quod utile plerunque judicatur, ſub cautelæ obſervatione neceſſario procedere concedimus. Si [29] quando igitur vir religioſus œconomus hujus regiæ urbis Eccleſiæ perſpexerit [30] expedire, ut deſideranti cuiquam certarum poſſeſſionum atque prædiorum (urbanorum ſcilicet ſive ruſticorum) ad jus Eccleſiaſticum pertinentium temporalis uſusfructus poſſeſſio pro [31] ipſius petitione præſtetur: tunc ejus temporis, quod inter utrosque convenit, ſive [32] in diem vitæ ſuæ ab eo, qui deſiderat, poſtuletur, pacta cum eo, qui hoc elegerit, ineat Oeconomus, atque conſcribat: per quæ & tempus, intra quod hoc præſtari placuerit, ſtatuatur: & manifeſtum ſit, quod quisque acceperit ab invicem [33] hujusmodi beneficii [34] gratia; præſtando quidem eccleſiaſtici prædii pro tempore uſumfructum: poſt ſtatutum autem tempus & placitum [35], ipſorum redituum proprietate ad dominium, & jus eccleſiaſticum recurrente firmiter: ita ſcilicet ut ſive completo ſpatio, quod fuerit inter eos conſtitutum, ſive mortis ſuæ tempore (ſi hoc quoque convenerit) is qui poſſeſſionem eccleſiaſticam & certorum redituum uſumfructum habendi gratia interveniente pacto ſuſceperit, non minus quam alterius tantæ quantitatis, quantæ [36] acceperit reditus, cum ipſorum prædiorum dominio & rebus immobilibus, eorumque colonis & mancipiis eccleſiæ derelinquat: Niſi enim hac conditione pacta inita fuerint, ea quoque decernimus non valere, ſed poſſeſſionem Eccleſiaſticam, tanquam nullo jure tranſcriptam, in jure ipſius, atque dominio permanere, & ab eccleſiaſticis œconomis vindicari. D. CP. JORDANE, & SEVERO COSS. 470.

In AUTHENT. de non alienandis aut permutandis. §. nos igitur. col. 2. tit. 1. ſeu Novel. 7. c. 1. & in auth. de Alienat. & emphyt. §. hoc etiam ſuper ipſis. & §. hoc vero jubemus. col. 9. tit. 3. ſeu Novell. 120. c. 6. & 7.

HOc [37] jus porrectum eſt ad omnem [38] venerabilem locum, omneque collegium, quod actio pia conſtituit: ut nec res eorum pignorentur [39]. Et hoc perpetuo ſervetur in his rebus immobilibus, quæ [40] ab imperiali domo prædictis locis applicantur. In cæteris [41] eatenus excipitur, ſi debitum urget. † Quod ſi ex mobilibus ſolvi non poſſit: primo [42] res immobiles ſpecialiter dentur pignori: quarum fructus creditor ſibi reputet tam in ſortem, quam in uſuras usque ad quartam [43] centeſimæ. † Quod ſi [44] nolit creditor ita accipere: tunc ordinator [45] domus apud eum, a quo ordinatur, habitis [46] absque diſpendio geſtis, juret [47] (majore parte ibidem ſervientium [48] conſentiente), & debitum exiſtere, nec ex mobilibus [49] ſolvi poſſe: quo ſubſecuto, per viginti dies rem Eccleſiæ [50] venalem eſſe publice [51] notum ſit; ut plus offerenti [52] detur, pretio [53] modis omnibus pro debito dando: aliter [54] enim res emptori non conceditur: & hoc inſcribatur [55] nihil eſſe factum in ea re ad damnum divinæ domus. *† Emptore vero non invento, res æſtimata diſtricte creditori detur in ſolutum, addita [56] in pretio univerſæ æſtimationis decima parte, & accedente conſenſu ordinatoris, & majoris partis ibidem ſervientium: Sit tamen ea res mediocris [57] inter cæteras, inſpecta ipſius qualitate [58] & quantitate & onere. † Et is* creditor *hic* intelligatur*, qui, quod credidit, probat in [59] utilitatem divinæ domus proceſſiſſe.*

In AUTHENT. de non alienandis aut permutandis. §. ſicut autem. col. 2. tit. 1. ſeu Novell. 7. cap. 12.

SIcut [60] alienatio rerum Eccleſiæ interdicitur: ita prohibetur, ne qua ſterilis [61] ei detur [62] poſſeſſio, aut alioqui oneroſa, veluti fiſcalium nomine vel onere.

1 Patre monacho ante diviſionem bonorum præmortuo, liberi ſolam legitimam deducunt, quibus ideo monaſterium favorabilius videtur. 2 Non jure hereditario, ſed cujusdam acquiſitionis. Inde negant interpretes, monaſterium ad inventarii confectionem adſtringi: cum proprie non ſit heres, v. Graſſum *lib. ſent.* §. *hered. quæſt.* 6. 3 Hujus legis mentio fit *Nov.* 7. Goth. De hujus legis materia vide Salicet. Bart. Bald. *h. l.* Tiraquell. *de conſtit. poſſeſſ. part.* 3. *limit.* 13. Menoch. *de arbitrar. lib.* 2. *cent.* 2. *caſ.* 172. Guilhelm. Rodian. *tr. de reb. Eccleſ. non alienand.* confer *l. fin. C. de fund. rei privat. l.* 11. & *ibi notat.* Anſ. 4 Armaſio, *ut l.* 31. J. *de Epiſcopis & Cleric.* cujus in Zenone mentionem Ang. Glycas & Conſtantinus Manaſſes faciunt. 5 Ad legis hujus pleniorem intellectum vide præter allegata & notata hoc loco opportune a Gothofredo, Tiraquellum *in tract. de jur. conſtit.* 3. *part.* 13. *limit.* Lapum *conſ.* 49. Doct. *ad cap. edoceri. extr. de Reſcript.* Oldrad. *conſ.* 209. Guid. Papæ *quæſt.* 355. Rot. *deciſ.* 10. *de reſtit. ſpoliat.* Alexand. *conſ.* 81. *num.* 16. & *ſeq.* Pariſ. *ad cap. in præſentia. n.* 105. *extr. de prob.* Pileum *quæſt.* 2. Ludov. de Penna *in l. litibus. in* 2. *col. infr. de agric. & cenſit.* Hoſtienſ. denique *ad cap. cum inter nos.* §. 1. *extr de verb. ſig.* Mod. 6 Id eſt, majori Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. Hoc privilegium poſtea porrectum eſt ad reliquas majori ſubjectas, *l.* 17. J. *h. t.* & tandem ad omnes Eccleſias *Novell.* 7. 7 Oeconomi Eccleſiæ munus id erat, res Eccleſiaſticas gubernare, ut hic, quæ cura poſt Epiſcopis ipſis demandata. 8 Annonæ, ſportulæ, penſiones immobilibus adnumerantur. *Nov.* 7. *in pr. Nov.* 120. *c.* 1. ſic in feudis, feudum de camera eſt, cum ex arca domini certum ſtipendium ſolvitur: de cavena, cum ex cellario domini præſtantur annonæ 2. *feud.* 1. v. Cujac. 1. *Feud.* 1. *in princ.* 9 Cujuscunque. *Hal.* Alienationis verbo continetur venditio, donatio, permutatio. Interpretes tamen volunt, prælatum poſſe eccleſiæ præjudicare in adquirendis, non in adquiſitis, v. Roland. a Vall. 1. *conſil.* 15. *num.* 23. 10 Res Eccleſiaſticæ immobiles, aut quaſi immobiles a nullo, & in nullum alienari poſſunt. 11 Puta cum aliena Eccleſia. *Nov.* 94. *c.* 2. vel culturæ gratia: (Hujusmodi diviſio non eſt alienatio, *l.* 38. *D. famil. erciſc. l.* 86. *in fin. D. de leg.* 2.) vel ſi privatus agit ad diviſionem. Neceſſitas enim probabilem facit diviſionem, *l.* 27. *ff. de manumiſſ. teſt.* 12 Ruſticis ſcilicet *arg. l.* 6. §. 1. J. *de ſecund. nupt. l.* 4. §. 5. *ff. de cenſib.* v. Cujac. *Novell.* 7. 13 Colorati, ita legit Baldus, adde Cujac. *Nov.* 7. color hic plerumque donatione quæritur, ut donari dicatur ἐπ᾽ ἀντιδώρῳ, id eſt, remunerandi gratia, *Nov.* 120. *c.* 1. 14 Intelliguntur ipſa templa, vide *Nov.* 7. *c.* 10. 15 Eccleſia fidei mater, *l.* 16. *in fin.* J. *h. t.* 16 Patrimonium Eccleſiæ (quantum fieri poteſt) perpetuum eſſe debet. 17 Id eſt, J. *h. t.* Goth. Adeoque hic Emptor pro malæ fidei poſſeſſore habetur: Rationem vid. apud Govar. *Relect. cap. malæ fid.* §. 7. *de errante & dubitante. num.* 10. adde *l.* 7. *C. de agric. & cenſit. lib.* 11. Anſ. 18 Cujacius *d. l.* hoc verbo intelligit ἀντίδωρα. 19 Illicite contrahens, pretii ſoluti (aliud ſi nondum ſolutum eſt) amiſſione privatur: quod tamen ei ab Eccleſia remitti poteſt. 20 Aut eis tacentibus, a quovis, quin ab ipſo œconomo, qui alienavit. 21 Contra leges quæ fiunt pro infectis habenda. v. *l.* 5. J. *de legibus.* 22 Agens, & conſentiens pari pœna puniuntur. *l.* 13. *ff. de his qui not. infam. l.* 6. *ff. de jure patronat.* Anſ. 23 Per ſententiam. Unde colligunt verbum præſentis vel præteriti temporis intelligi ipſo jure: futuri vero per ſententiam, ſi dicta fuerit ſententia: niſi verbo futuri temporis addatur verbum *mox*, *illico*, *omnimodo*, vel ſimile: niſi verbum futuri temporis proferatur a teſtatore, *Gloſſ. l.* 16. *in verb. decernimus.* J. *h. t.* Bald. *l.* 1. J. *de his, quæ pœnæ. Gl. in leg. criminali.* 5. J. *de juriſd. l. ſi quis in tantam.* 7. *C. unde vi. l.* 1. *infr. de pedaneis judic.* v. Cremenſem *ſingulari* 7. Romanum *ſingulari* 1. 24 Ob rem male adminiſtratam, datur actio in œconomum, ejusque ſucceſſores. 25 Scriptor punitur, vide *l.* 5. §. 9. *D. de injur. l.* 15. J. *de decurionibus.* Tabellio vetitum inſtrumentum conficiens irrevocabili exilio puniendus, v. *l.* 16. *ff. ad l. Corn. de falſis.* Bellovíſ. 1. *c.* 1. & 8. *n.* 10. *Nov.* 134. *c.* 11. & 2. *feud.* 52. 26 Hoc innuit, non omne exilium irrevocabile. v. Papon. 3. *notar. tit. de Rapeau de ban.* 27 Judices & actuarii, contractui vetito autoritatem præbentes, & privantur dignitate, & omnia bona amittunt. 28 Adde *l.* 24. §. 1. *D. de minorib. l.* 12. §. 1. *ff. de admin. & peric. tut.* 29 Hæc verba referuntur *c.* 10. *quæſt.* 2. *can. ea enim* §. *ſi œconomus.*

30 In alienatione rei Eccleſiaſticæ requiritur, ut juſta cauſa ſubſit: neceſſitatis ſcilicet vel utilitatis: ideoque transactio ſuperioribus cauſis deſtituta, reddetur inutilis, vide Roland. 1. *conſil.* 16. *num.* 16. 31 Id eſt, prædia Eccleſiaſtica urbana vel ruſtica in temporalem uſumfructum petenti dari poſſunt, *Novell.* 7. *cap.* 4. 32 Uſusfructus temporalis fit pacto ad certum tempus, vel ad vitam ſuſcipientis. 33 Sic reſtitue *ad invicem. Hujusmodi beneficii gratia præſtando quidem &c.* Porro hæc verba innuunt hic agi de mutuo uſu, ut Eccleſia fundum (forte remotum) diviti alicui cui (is proximus eſt) in uſum vitæ dare poſſit, ea lege, ut viciſſim ab eo fundum alium (ſibi forte vicinum) fruendum accipiat, *Nov.* 7. *cap.* 4. ibi, ἕτερον εὐθὺς πρᾶγμα κατὰ δεσποτείας δίκαιον ἀντιδιδόναι τῇ ἐκκλησίᾳ. 34 Mutui ſcil. 35 Placitum temporum proprietate ad dominium &c. *Hal.* 36 Quantam acceperat reditus &c. *Hal.* 37 10. *quæſt.* 2. *c. ea enim* 2. Id ſpecialiter Eccleſiarum intuitu conceſſum fuerat, *l.* 14. J. *h. t.* Goth. De jure Canonico, in alienatione rei Eccleſiæ non requiritur tanta ſolennitas; ſed ſufficit utilitas quæ alienationem ſuadet, accedente tamen conſenſu & ſubſcriptione Capituli. *cap.* 1. *extr. de his, quæ fiunt a prælat. junct. can. ſine exceptione.* 52. *c.* 12. *quæſt.* 2. Adeoque ſolennitates hic relatæ hodie non ſervantur. Neque illud mutatum: propterea, quod hæ authenticæ *d. cauſ.* 12. *quæſt.* 2. inſertæ, & quaſi canonizatæ ſint, a Gratiano enim privata autoritate inſertio illa facta eſt. v. Caniſ. *de diff. utr. jur. n.* 20. Anſ. 38 Nullus locus religioſus alienari aut pignorari poteſt. 39 Subaudi, ſine ſolennitate, de qua vid. Socin. *reg.* 110. 40 Eccleſia rem immobilem ab Imperatore acceptam alienare ac pignorare non poteſt etiam alteri Eccleſiæ, v. *Nov.* 120. *c.* 7. 41 Eccleſia res immobiles a privato acceptas alienare poteſt, ſi debitum urget. 42 Adde *l.* 12. *in fin. ff. de relig.* In alienationibus rerum Eccleſiaſticarum alia ſolennitas hodie ſervatur, vide *Deciſiones Rotæ, deciſ.* 135. Rebuff. *in proœmio conſt. gloſſ.* 5. *n.* 25. & *in compendio alienationis rerum Eccleſiaſtic.* 43 Quarta centeſimæ eſt quadrans uſura leviſſima, ut ſi ſolvantur annuatim *trois pour cent.* quadringenteſima pars ſortis quolibet menſe. 44 Sublata ſpe quæſtus, languent commercia *l.* 8. J. *de reſcind. vend.* 45 Vel ejus loco procurator ſpecialis, aut cum libera, aut certi negotii. Is enim poteſt accipere, ſi negotium aliter explicari non poteſt. Bald. *hic*. 46 Hodie etiam in Francia ſcriptura adhibetur ab initio. Rebuffus *in compendio de alienation. rerum Eccleſiaſtic. num.* 10. 47 Rebuffus negat hodie requiri juramentum ordinatoris *cap.* 1. *de rebus Eccleſiar. non alienand. in* 6. 48 Seu capituli, *d. cap.* 1. vide Rebuffum *ibid. num.* 17. vel epiſcopi. Cujus? utriusque: & ejus in cujus diœceſi res ſita eſt, & ejus in cujus diœceſi ipſi contrahentes vivunt. Rebuffus *ibid. num.* 22. 49 Quo nomine intelliguntur actiones, & nomina ex re mobili, non immobili provenientia. Bald. *hic.* 50 De cujus utilitate agitur. Interpretes tamen volunt, unitis duabus Eccleſiis fundum unius pro alterius utilitate diſtrahi poſſe. v. Bald. *hic.* v. quæ ſcripſi ad *l.* 12. J. *de prædiis, & aliis rebus minorum.* 51 Subhaſtationes bonorum Eccleſiæ fieri debent. *arg. l.* 4. J. *de fide & jure haſtæ*: per viginti dies, *ut hic*: Rolandus a Val. 1. *conſil.* 33. *num.* 13. quas tamen Rebuffus *d. l. num.* 20. negat requiri jure Canonico. 52 Plus licitanti, *au plus offrant & dernier encheriſſeur*, res addici ſolet. *l.* 4. J. *de fide & jure haſtæ.* 53 Id eſt, ea lege, ut pretium acceptum creditoribus Eccleſiæ numeretur. 54 Emptor rei Eccleſiaſticæ curioſus eſſe debet, quo pretium vertatur: facit *l.* 3. §. 9. *in fin. ff. de in rem verſo. l.* 15. §. 13. *ff. de reb. cred.* 55 Actuarii vice, ad emptoris ſecuritatem. Puto itaque, ſic ubi, maxime ſcripturam in hujusmodi alienationibus requiri. 56 An id æquum, aut licitum jure poli? vide quæ notavi ad *Novell.* 120. *c.* 6. *in fin.* 57 Quid ſi alienari prohibita? v. *Nov.* 120. *c.* 9. 58 Rei æſtimatio qualitate, quantitate, & onere judicatur. 59 Quod in dubio præſumitur ex confeſſione Epiſcopi & Capituli: alias qui emit ab Eccleſia, qui eidem credit, numerationem factam, & converſionem pecuniæ in utilitatem Eccleſiæ probare cogitur. Bald. *hic.* 60 Quid ſi nuncius Eccleſiæ pecuniam amiſit? non eſt periculum emptoris. *l.* 11. *infr. de rebus cred.* 61 Aut damnoſa. 62 Fingamus hereditatem damnoſam ab Eccleſia aditam, non confecto inventario? ultra vires hereditarias non tenebitur. *Bald.*